

157



Responsio Joh. Scharffii Responsio Georgii Calixti redorta eiusq
 scripto acrius opposita Wittenb. 1649.
 1. f. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

JUDICIIUM DE CALIXTINO DESIDERIO

JUDICIIUM DE CALIXTINO DESIDERIO

D. JOHANNIS HULSE
MANNI

JUDICIUM

DE

CALIXTINO DESIDERIO
ET STUDIO SARCIENDÆ CON-
CORDIÆ ECCLESIASTICÆ,

BONO ANIMO PUBLICÆ LUCI
EXPOSITUM,
FREIBERGÆ.

Nunc

LIPSIAE

SUMPTU ET TYPO RITZSEHIANO

auditis & correctius recusum.

M DC. LI.





JUDICIUM DE CALIXTINO DESIDERIO
& Studio Sarcieudæ Concordiæ Ecclesiasticæ,
hoc mense in lucem edito.

I.



*Desiderium Calixtinum, prout in Theſibus
iſtis exprimitur, erroneum eſt, ſcandalo-
ſum, & noxium. Erroneum: quia à
ſufficientia cogniti Symboli Apoſtolici, ſi
nullus conceptus alius cointret intellectum & aſſen-
ſum Idiota, infert ad impunitatem & licentiam aſſe-
rendi vel etiam negandi quævis alia dogmata, Symboli
illius verbis non expreſſa, th. 12. & 22. qualis collectio
planè vitioſa eſt. Non ſequitur n. Cuius dogmatis
ignorantia innoxia eſt, ejus affirmatio vel negatio
indifferens eſt. Prius dicit nudam abſentiam cog-
nitionis, quando nulla urget formido oppoſiti aut diverſi
dogmatis: Alterum dicit vitium & corruptelam
cognitionis, quando pravum dogma, oppoſitum, aut
diverſum à vero, jam imbibitum eſt. Multa impunè
ignorantur, quæ cognita non perinde licet affirmare
vel negare. Ignoret Laicus, Chriſtum natum eſſe ſub
Imperio Auguſti Cæſaris, non a. neget.*

*Scandalofum: quia Chriſtum, Apoſtolos, &
omnem retro Eccleſiam injuſtitia poſtulat, quòd à com-
munionem regni Cæleſtis excluſerunt eos, qui vel unum
de*

de minimis codice sacro assertis negaverint, vel de
negatis affirmaverint: Matt. V, 18. Quicumq;
solverit vel unum apicem de hisce, quæ in lege ex-
tant, minimus erit in regno cœlorum. Solvendi
a. verbum, notare h. l. non solum violationem, quæ
moribus & facto, sed illam quoq;, quæ falsâ interpre-
tatione fit, ex parallelis constat Joh. X, 25: quando
judices seculares filii Dei dicuntur, non solvitur
scriptura, &c. I. Tim. VI, 3, s. II. Joh. X. Ita Act.
XV, & Gal. V, inter Apostolos & Pseudo-Apostolos
non controvertebatur de veritate, necessitate, & uti-
litate satisfactionis Christi, sed tantum de coadmit-
tendâ circumcissionis & legis Mosaicæ observantiâ:
Et excludebantur tamen à communione gratiæ & glo-
riæ divinæ, qui juxta & præter solam fidem in Christi
satisfactionem, etiam legis observantiam coadmit-
tendam censebant: Christum amisistis, gratiâ ex-
cidistis, &c. Modicum erroris (fermenti) fermen-
tat totam massam: Qui turbat vos, reportabit con-
demnationem &c. Gal. V, 2, 4, 7, 8, 9, 10. At hi
omnia & singularia habebant, quæ Symboli Apostolici
literâ continentur. Conferantur Catalogi omnium
hereticorum, apud Philastrium, Epiphanium, Au-
gustinum, Theodoretum, Damascenum, Leon-
tium, Photium, &c. & elucescet, plerosq; ab omni
Ecclesia pro hereticis habitos, provocasse ad literam
Symboli Apostolici, idq; per omnia, juxta literam illic
A 2 conter-

contenta rati habuisse: Et pro hæreticis tamen fuisse
habitos & damnatos ob affirmata vel negata dogma-
ta Symboli illius verbis non definita. Etiam Socinus
in libro, Quod regni Poloniae, &c. Jonas Slichtin-
gus in notis ad Symbolum Apostolicum Anno 1642.
editis. Anonymus Socinianus in libello de pace & con-
cordia Ecclesiae, c. 2. Remonstrantes in præfatione
Apologiæ suæ, nec non præfatione Responsionis suæ
ad Specimina Leidensium. Isaacus Foëclerus anno
M DC XLIII. ad Socinianos prolapsus, in Sophronif-
mo anno 1642. edito, aliq; ejus sectæ jurant: Se præ-
cisè inhærere literæ Symboli Apostolici: Hoc unum
agre ferunt, quod in dogmatis Symbolo non expressis,
affirmandi vel negandi licentia illis denegatur: Nun-
quid propterea absolventi sunt ab hæresi?

Propterea Noxium quoq; est Calixti desiderium,
quia hos Sectarios omnes confirmat in errore concepto,
tanquam solius Symboli apprehensio eos absolvat ab
omni noxa errorum, quos præter & extra Symboli li-
teram defensant, & eorum affirmatio & negatio pro
indifferentibus habenda sit, th. 3, 4, 5, 10, 12, 22. Ac
præterea facit hypocritas, dupondios, Ecebolios, ut aut
prolabantur ab unâ Sectâ ad aliam, aut persuadean-
tur, se posse virtuali communionem ad hæresim huic sectæ,
& actuali communionem ad hæresim alteram, ex Calix-
tino consilio th. V & VII. Idiotis porrò & Laicis ex-
imit zelum & ardorem proficiendi & perseverandi
in veritate, eosq; in presentissimum exitii discrimen

ad-

adducit. Quum n. Damon neminem credentium sine
suggestione rationum dubitandi dimittat, qui Proto-
plastis tam claram, tam expressam precepti divini
literam dubiam fecit; Gen. III; nec fingi possit ullus
Catechumenus, cui non surrepat aliquando cogitatio
circa interpretationem Symboli, v. gr. Num passio
Christi, de qua secundus Articulus agit, exemplaris tan-
tum, an verè satisfactoria pro humani generis, adeoq;
& meis peccatis sit? Eximit hunc Scrupulum addi-
tio facta in Symbolo Nicano: Qui propter nos ho-
mines, & propter nostram salutem descendit, &c.
Quis autem mercatorum aut opificum curabit ista,
si omnis opinio extra literam Symboli Apostolici im-
punita est & indemnis? Laicus autem si decedat in er-
rore de Passione Christi exemplari tantum, annon a-
nima incurret exitium? Væ autem qui dicitis
bonum malum, & malum bonum, qui miscetis
cum luce tenebras! Jes. V. II Cor. VI.

II. *Adjectivum* (*Ecclesiastica*) quando de con-
cordia Ecclesiasticâ queritur, sumitur vel qualitati-
vè tantum, de concordia in dogmatibus Ecclesiasticis:
vel qualitativè & subjectivè simul, de concordia inter
Ecclesias, circa dogmata religionem Christianam atti-
nentia. Posterior sensus præcipuus & prædominans
est, ac proinde extra oleas, quicquid initio desiderii
Galixtini de Infidelibus, de Turcis & Judæis cum
Christianâ fide conciliandis præmittitur, Cōcordia Ec-
clesiastica hos nihil attinet.

III. Dec

III. De cœtibus Pontificiorum, Calvinianorum, Arminianorū &c. prædicatur vox Ecclesiæ, nō proprie, sed analogicè, intuitu paucorum Orthodoxorum in illis cœtibus corpore quidem degentium, sed ignorantium capitales errores, Apoc. 2, 24. Et actuali consensu convenientium cum Orthodoxa Christi Ecclesiâ, in omnibus iis, quæ norunt esse divina revelationis, & necessitatis ad salutem obtinendam.

IV. Norma, juxta quam illarum sectarum partes & asseclæ pro filiis DEI censerentur, nempe solum Symbolum Apostolicum, Thef. 3, 8, 22, insufficientis est & inadequata. Probabile est enim, esse cognitum illarum partium asseclis, saltem in Romano Imperio: non solum in quibus præcipuè dissentiant ab Orthodoxis Lutheranis, sed etiam ab aliis: & adherere v. gr. Pontificios sua doctrina quâ tali, & quatenus Lutheranis opposita est; Calvinianos sua doctrina quâ tali, & quatenus iisdem Lutheranis opposita est. At longè alia ab his, & dispar ratio est priscorum Martyrum, qui ex Laicorum cœtu coronam illam meriti sunt, & de rebus fidei nihil præter id, quod Symbolo Apostolico continetur, cognitum habuisse feruntur. His n. præter & extra Symbolum nihil de aliis circa scripturarum interpretationem controversis, notum fuit, neq; cognitio eorum ad plura dogmata se diffudit, quàm ad sola ea, quæ Symbolo Apostolorum expressè continebantur: Ergo neq; Calvinianis, neq; Pontifici-

Pontificiis, neq; ullis aliis hereticis opinionibus extra & præter Symbolum introductis imbuti erant: Laici autem harum Sectarum sunt imbuti erroribus circa alia dogmata, Symboli contextu non expressa. Laborat igitur Calixti illatio ignoratione elenchi, quando à sufficienti dogmatum in Symbolo Apostolico expressè extantium, infert ad disparatum: nempe ad licentiam, ad libertatem, ad impunitatem & indemnitatem errorum & dogmatum hereticorum, Symboli Apostolici verbis directo quidem non repugnantium, repugnantium tamen expresso DEI verbo, ut: DEUM irritare homines ad peccandum: Imagines esse adorandas: Satisfieri pro peccatis commissis per actiones & passionnes pœnitentium, &c.

V. Insignis committitur paralogismus equiparatione requisitorum à Catechumenis olim baptizandis, & requisitorum ab Orthodoxis de hæresi suspectis, aut ab hæresi ad Catholicam Ecclesiam redeuntibus. Catechumeni discernebantur professione solius Symboli Apostolici à Paganis, idolorum cultoribus, non ab hereticis à fide Ecclesie prolapsis. Inferre igitur Calixtino modo: Quantum sufficit ad discernendum Christianum à Pagano, tantum etiam sufficit ad discernendum Orthodoxum ab heretico, tam inficetum & incongruum est, ac si dicas: Quantum sufficit ad discernendum animal à lapide, tantum sufficit ad discernendum bovem ab asino, hominem à simia, &c.

VI. Si

VI. Si testimonium veteris Ecclesie tanti facimus,
nulla unquam aut usquam Ecclesia solius Symboli A-
postolici professionem habuit pro nota discretiva Ortho-
doxi ab heretico, sed tantum pro nota discretiva Chri-
stiani à Pagano. Sabelliani, Ariani, Macedoniani,
Nestoriani, Donatista & pessima quæq; factio hereti-
corum, Imperiali lege Theodosii, Gratiani, Honorii,
Arcadii, Martiani, &c. proscriptorum semper pro-
vocavit ad consensum cum Symbolo Apostolico: Sed
ejecti fuerunt tales per oppositam legem Christi Matt.
V. Si quis solverit unum de minimis his, &c. Gal.
V. Christum amisistis, qui fidem & circumcisi-
onem correqviritis. Rom. XVI, 17: Observate au-
tores disfidiorum & scandalorum contra doctri-
nam, quam accepistis, & declinate ab eis: Iren. L.
III. C. IX: Omnes hæreses DEUM unum dicunt;
unum Dominum JESUM Christum &c. Sed per
sententiam verbum hoc immutant. August. C. I. L.
de fide & Symbolo: Sub istis paucis in Symbolo
constitutis, pleriq; hæretici venena sua occultare
conati sunt; quibus restitit & resistit divina miseri-
cordia per Spirituales viros, qui Catholicam fidem
NON TANTUM in illis verbis accipere vel credere, sed
etiam Domino revelante intelligere atq; cogno-
scere metuerunt, &c. Etiam Nicenum Symbolum,
Apostolico luculentius, approbavit Macedonius, eoque
seduxit Liberium Romanum Episcopum, ut postea ad
Aria-

Arianos transfret, ap. Socrat. l. 4, c. 12. Approbavit
juxta literam Arius ipse, eòq; toti Orbi imposuit: ap.
Ruffin. l. 1. c. X. Eusebius Nicomediensis atq; Theo-
genis Nicenus, Episcopi, approbatione solius literæ
Symboli Nicæni, universum Orbem Ariniano infre-
cerunt, ap. Socrat. l. 1, c. 8, 14. & 23. B. Augustinus,
postquam libro de Hæresibus, XXCIIX. hæreses confu-
tasset, quarum pleræq; in gratiam Christi minus inju-
riae sunt, atq; Papiſtarum & Calvinistarum capitalia
dogmata: in Epilogo illius Libri sic perorat. Omnis
itaq; Christianus Catholicus ista (de LXXXVIII.
hæresib. commemorata) non debet credere: Sed
NON OMNIS qui ista non credit, consequenter de-
bet se Christianum Catholicum jam putare vel
dicere. possunt enim & hæreses aliæ, quæ in hoc
opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse, vel
fieri: Quarum aliquam Quisquis tenuerit, Chri-
stianus Catholicus non erit. Epiphanius hæresi
LXXVII, quam Dimœritarum, sive Apollinarista-
rum vocat, primò deplorat lapsum Apollinaris Laodi-
ceni Episcopi, fidem Nicænam integram quidem
confitentis, Christosq; corpus & animam rationalem
tribuentis, sed pro discursu & mente divinitatem ra-
tiocinandi officio fungi sentientis. Eum appellat
πρεσβύτερον καὶ σεμνοπρεπῆ, τὸν αἰεὶ ἡμῖν καὶ πᾶσιν ὀρθοδόξοις, καὶ
τῷ μακαρίτῃ Πάπῃ Ἀθηνασίῳ ἀγαπητὸν: qui exilium
etiam sustinuerit, quòd Arianis assentiri nollet, ex

B

invi-



invidiã tamen & p̄vicacia in hunc errorem pro-
lapsum.

Et de errore ipso inquit : Nisi hac de re fuisset
excitata disputatio, simplicissimum quiddam erat.
Quam enim utilitatem mundus ex hac novitate
sensit? Nunquid salutis nostræ via expeditior
hac novitate facta est? *Mox inquit :* Quicumq; non
modo hac in parte, sed vel in levisimã aliquã veri-
tatem lædit, fidem is ejurasse censebitur: quippe
ne in minimo quidem à veritatis viã licet deflecte-
re. Nullus unquam ex veteribus illud asseruit:
non Propheta, non Apostolus, non Evangelista,
non interpretum aliquis, qui ad nostrum usq;
tempus extiterunt, à quo Sophistica illa & cavilla-
toria vox ex Eruditissimi illius hominis ore pro-
cessit. Non enim mediocrem literarum scientiam
fuerat ille consecutus: Cùm & humanioribus
Græcisq; disciplinis esset excultus: & Dialecticam
ac Sophisticam artem imprimis calleret: Esset
idem præcipuã gravitate præditus, imò verò & Or-
thodoxis omnibus, anteqvam illius modi dogma
proponeret, longè charissimus. *Initio hæreseos*
ait de Apollinare hoc : Cùm primùm nonnulli ex
discipulis ejus nobis ista narrarent, fidem non ha-
bebamus, neq; vero simile putabamus, à Tanto vi-
ro errorem ejusmodi profectum: Itaq; nonnullã
adhuc meliorum spe patienter expectavimus, do-
nec.

nec rem omnem accuratè cognovimus. Dicebamus enim: Discipulos illius, qui ad Nos ventitabant, quum ea minimè caperent, quæ ab Erudito illo ac sapiente Viro Præceptore suo, abstrusa ac recondita proferrentur, ejusmodi commenta finxisse sibi, quæ ab illo nunquam didicerant. Præsertim, cum multa inter illos, qui nos adibant, opinionum varietas esset.

Quàm hæc quadrent in Calixtinas novitates, perspectum habent illi, qui à proximis XXX. annis in Orthodoxis Germaniæ Scholis docuerunt, vel etiam ad Docentium pedes confederunt.

VII. Ipsi Sæctarii, Romanenses & Genevenses, improbant & detestantur illam ampliationem & laxationem communionis Ecclesiasticæ. Moguntini in Anatomia Calixtinâ, & Irenico adversus Calixtum ante quadriennium editis, aliquoties protestantur, quomodo etiam Bellarm. protestatur III, de Laicis cap. 19, ubi Vicelii, Cassandri, aliorumq; Mediatorum conatus exagitat: se nec jota, nec apicem remisuros de Concilii Tridentini decretis, neq; laturos in cœtibus suis ullum, qui vel minimo signo ostendat, se istis per omnia additum non esse. De terris (ajunt Iren. l. 1. c. 10. p. 139.) & regionibus, de juribus imperiorum & regnorum; imò etiam de bonis Ecclesiæ temporalibus transactionem licet damnosam, concoquere possunt Catholici; In dogmatibus

B 2 fidei

fidei semel definitis non possunt; Sed cum Gelasio Papâ, condescensionem petentes hæreticos explodunt &c. *Et in singulis ferè paginis Calixti postulatium de normâ affirmandorum vel negandorum restringendâ ad solius Symboli Apostolici literam, exagitant tanquam commentum Chimæricum, Babelicum, Atheisticum, Machiavellisticum, Pseudopoliticum, & libertinicum, &c. In primis § 5. Cap. 1. An præter Symboli Articulos nihil sit necessariò credendum, nec cognoscendum explicitè? Et § XI: An ad Ecclesiam Christi & populum D E O dilectum pertineant omnes, qui Symbolum Apostolicum simpliciter crediderint? cuius quæstionis affirmationem ajunt esse Nefariam & Pestilentissimam hæresin, imò Matrem & Nutricem omnium execrabilium errorum.*

Josephus Hallus Exoniensis in Anglia Episcopus, capiti quarto Romæ irreconciliabilis hoc argumentum præscripsit: Quàm non sufficiat unius ejusdemq; Symboli Confessio ad conciliationem cum parte Romana. *Amandus Polanus Syntagm. l. 9. c. 27. ait: Confessione veritatis adjuncta debet etiam esse Anathematizatio impiorum dogmatum: Tunc enim demùm fructuosissimè doctrina vera defenditur, quando etiam à Sectatoribus ejus opinio falsa damnatur. Lambertus Daneus in Aug. de Hæres. c. 72. Rhetoriani ab aliis Lampetiani dicuntur.*

euntur, qui liberam cuiq; esse debere religionis,
quam velit & quam veram putet, professionem
docent.

*Johannes Forbesius Calvinista Scotus, in Refu-
tatione libelli Sociniani de pace & concordia Eccle-
siae: ad postulatum de Orthodoxia ex solâ professione
Symboli Apostolici mensuranda, respondet § 4:* Ex-
pressis Scripturarum & Symboli Apostolici verbis
Tuos subscribere insulse jactas. Certè, Expressa
Scripturarum & Symboli Apostolici verba confi-
tebuntur Priscillianistæ & Papistarum deterrimi
Jesuitæ, & ipse Antichristus, & Satanica ista Car-
pocratis Secta, quæ dilectionis audit familia, mul-
tiq; alii nefarii hæretici palàm ἐξεστραμμένοι καὶ αὐτοκα-
τάνητοι, quos oportet eliminare. Satis verò præci-
pitanter veniam apud DEum spōdes indocili in-
sipientiæ, & insipienti sapientiæ indoctorum & in-
stabiliū hominum, qui sacras literas, quarū expressa
verba cortice tenuis delusoriâ quâdam Confessio-
nis specie admittunt, ad suum ipsorum detorquent
exitium, sicut de eis scripsit Apostolus Petrus.

§ 6. Quam verò & illud absurdum, quòd ejus er-
roris pertinaciam, quam Apostolicis temporibus
Excommunicationis sententia exceperat, nuncta-
men animadversione Ecclesiasticâ coercendam ne-
gare non erubescis? *Hunc Forbesii librum approba-
runt omnes Theologi Batavi, Johannes Polyander,*

B. 3,

Jaco-

Jacobus Triglandius, & Fridericus Spanhemius,
Lugduni Batav. Andreas Rivetus *Haga Comit.* Gies-
bertus Votius, Carolus de Maetz, & Johannes
Hoornbeck, *Ultrajecti*: Johannes Cloppenburch
& Cocceius, *Franceera.* Maresius *Groninga,* & Ger-
ardus Johannes Vosius, *Amsterodami.*

Relegantur aditata annis 1615, 1616, 1617. seq.
inter Calvinistas & Remonstrantes Batavos: Hi ju-
rabant non solum in Symbola Oecumenica, sed in
Catechesin quoq; Heidelbergensem juxta literam in-
tellectam, qua Quæst. secundâ: Quot sunt scitu ne-
cessaria, ut unicâ ista consolatione in vita & morte
fruens beate vivas ac moriaris? longè plura requi-
rit, quam quæ verbis Symboli Apostolici exprimentur:
Obtestabantur juxta & orabant ac supplicabant, ne
ejicerentur communione Ecclesiasticâ cum Calvi-
nistis, neq; cœtus separati agerentur; sed nihil obtinu-
erunt. De quo repudio legenda est historia Batava
Baudartii, Historia Ecclesiastica Remonstrantium
Idiomate Batavo edita Liber alius anno 1618. Amste-
rodami editus: Van de onderlinge Verdraegsamheit
i. e. de mutuâ tolerantia Calvinistarum & Remon-
strantium in cœtibus sacris. Et deniq; Hugonis Gro-
tii Apologia, Parisiis anno 1522. edita Cap. 4. & 9.

Versatur presens & recens exemplum ob univer-
si Orbis oculos in Gallis & Belgio, dum ejiciuntur
ex Scholis & cœtibus Hugonottoꝝum Amyraldistæ,

ob

ob assertam hypotheticam universalem benevolentiam
DEI erga omnes homines lapsos: sub qua tamen hypo-
thetica extensione benevolentiae divinae, nempe, si om-
nes homines hoc possent & vellent credere: Amy-
raldus & Socii non subsumunt affirmatè sed negativè:
& consentiunt ex asse Hugonottis, quòd DEUS absolu-
tè, quia sic placet, nolit dare omnibus & singulis
istam facultatem, ut possint credere beneficium il-
lud, sub hypothesis propositum. Et negant tamen
omnes Doctores Batavi, negant Hugonotta omnes,
posse has sententias conciliari: negant posse Amyraldi
doctrinam tolerari. Rivetus in praefat. Vindicia-
rum posthumarum Spanhemii, & Spanhemius ipse in
Epistola ad Cottierum de hoc unico argumento con-
scripta; Annon conciliari possit haec propositio conditio-
nalis affirmativa: DEUS vult omnes homines salvos
fieri: Christus pro omnibus mortuus est, si omnes
hoc credere possint aut velint &c. cum hac assumpti-
one categoricè negativà: At DEUS absolute, quia
sic placet, non vult, ut omnes homines hoc pos-
sint aut velint credere? Negat Spanhemius has pro-
positiones posse conciliari: negat Majorem posse tolera-
ri: Esse enim illusoriam & ludificatoriam, aq. atq.
hanc: Ille Empiricus vult omnibus caecis vilum
restituere, si omnes videre possint.

Versatur itidem ante universi orbis oculos eorun-
dem Theologorum Batavorum controversia de Frater-
nitate

nitate Mariana', "quam Maresius Theol. Professor
Groninganus, & Socii, Collegium merè politicum, ad
Symbola & agapas pro solis pauperibus conferendas
esse jurant, ex Romano Pontificiis & Reformatis con-
stans, salva tamen cujusq; partis conscientia & pri-
vato religionis exercitio: Cui Collegio precipui & pro-
ceres civitatum Belgicarum dudum sua nomina dede-
runt: At Gisbertus Votius Theol. Professor Ultrajecti-
nus, tum in Specimine Assertionum Maresianarum
Anno MDC XLII. tum in editione Judiciorum &
Responsorum à Theologiae Doctoribus & Profess.
in Academiis & Scholis foederati Belgii super hoc
negotio anno MDC XLIV. latorum ostendit: Com-
muni omnium in Belgio Calvinisticorum Doctorum
sententia Fraternitatem illam, etsi merè politicam,
ob lubricam, ambiguum, & periculosam Conven-
tionis & jurisjurandi formulam, tolerari in foederato
Belgio nō posse. Maresio a. pura adiaphorian hujus Cō-
ventionis objicienti respondet per instantias pag. 39: (1.)
Anne igitur omnia illa adiaphora, quæ supersunt
in Anglia, Germania &c. ut, Collegia Canonicorū,
quorum aliud dicitur S. Petri, aliud S. Mariæ &c. in
casu conscientia, piis suaderi possint non toleranda,
sed facienda?

(2.) An stolidè fecerint Ecclesiae Scoticae (& An-
glia) cum Regni Ordinibus & Parlamento: quod
propter hæc & talia, exemplo Gideonis contende-
rint,

runt & TRANQVILLITATEM carnalem ac pin-
gves offas non prætulerint?

(3.) Quid censendum sit de Puritanis Genevensi-
bus deq; primis Reformatoribus in Gallia, &, qui
AD UNGVEM eos imitati sunt, Nostris in Belgio?
Hæc Votius, qui Dispp. Select. p. 1. pag. 72. negat
Symbolum Apostolicum esse tale: negat esse Symb.
Universale: negat esse evidentem, Apologeticam,
atq; elencticam fidei formulam: præfert Catechesin
suam Belgicam, i: Palatinã. Ultra Sauromatas fuge-
re hinc licet, qui persuasum nobis cupiunt: Lutherana-
nos, salvo exercitio doctrinae & rituum suorum, quot-
quot Symbolo Apostolico non exprimuntur, admittunt
iri ab his Calvinistis Batavis, Anglis, Scotis, Helvetiis
in societatem Unius visibilis Ecclesie.

Itaq; applaudunt quidem Pontificii & Calvini-
ani Calixtinae liberalitati, quod sub literali approba-
tione solius Symboli Apostolici, ipsos in communio-
nem Ecclesiasticam admittere velit; sed mutuam &
reciprocam admissionem Calixti sub eadem conditione
in sue sectæ communionem, palam ipsi denegant.
Quale verò ex hisce præmissis oriatur consecrarium
Politicum? Hoc videlicet, ut Principes & Magistratus
Augustanam confessionem profitentes in odium apud
plebem abducantur, quod Sectarios quosq; in commu-
nionem Ecclesiarum & Provinciarum suarum nolint
admittere, sub approbatione verbali solius Symboli
Apo-

Kreis- u. Stat.
Haldensleben

Apostolici: Quum tamen Sectarii ipsi, tam Calviniani quam Pontificii detrectent admittere Aug. Confessionis Assedas in societatem & communionem suorum Sacrorum, nisi & doctrinam totam & ritus omnes Pontificiorum vel Calvinianorum approbent. Hoc est quod Principes Germanie Calixto acceptum referant.

V III. In ipsa porro thesium Calixtinarum pertractione multa falsa sunt, & aiosa sive male coherentia.

Non certum, sed falsissimum est, quod thesi 3. & 4. dicitur: Eos omnes & singulos, qui sic comparati sunt, veluti illic describuntur, haberi a DEO pro filiis, & ad hæreditatem regni cœlestis admittendos esse, nisi addatur hæc clausula: (Nec ulli alii dogmati revelationi divinae contrario, & Symboli Apostolici litera non expresso adstipulentur: neq; contra conscientiam melioris & verioris, facti & moribus in erroneum dogma consentiant.) Ubi enim alterutrum ex his adest vel committitur, solvitur lex divina Matt. V, & solvens rejicitur à regno gratiæ & gloriæ. v. gr. Collocat eos cœlo Calixtus tb. 4. qui Eucharistia fruuntur, prout datur: Et th. tamen 6. concedit: Eum, qui persuasus est, se teneri mandato divino, ad sumendum utramq; Eucharistiæ speciem, non posse illæsâ conscientia contentum esse specie unâ. Igitur, inquam, si ledit

con-

conscientiam, sumendo unam speciem: peccatum mortale committit & salute excidit.

At in literâ Symboli Apostolici nihil tale definitum est: Unde apparet, sufficientiam acceptati Symboli Apostolici sumendam esse cum exclusione omnis alterius erroris & phantasiae de ullo dogmate religionem attinente. Cujusmodi hypothesis de Calvinianis aut Papanis Rusticis in Germania, inter febricitantium somnia & rationis entia releganda est: Existere videlicet in Rom. Imperio, pro cuius tranquillatione Calixtinae vigilia excubant, homines, secta Calvinii aut Romanensi imbutos, quorum intellectum nihil aliud subeat, quàm quòd solâ Apostolici Symboli literâ expressum est. Qui silvas Hercynias egressi non sunt, pascant se febrilibus hisce phantasmatis: ne quærant autem suis deliriis suffragia apud externos. Nusquam in Germania reperies Calvinianum Rusticum, quin persuasus sit, se non accipere in Eucharistiâ ipsam substantiam Physicam corporis & sanguinis Christi, ore corporis. Nusquam Papanum Rusticum, quin opinionem habeat de facultate cuiusdam Sancti, ad opitulandum indigentiae suae corporali & spiritali. At hi conceptus mentis, sunt conceptus de objectis Symbolo Apostolico non comprehensis: Eruntne propterea indemnes & innoxii?

IX. Insufficiens est & falsum, quòd eadem thesis dicitur: Eos, qui de Trinitate illa credunt, quæ à

Photinianis negari Calixtus dixerat, Quiq; credunt, se non propriis meritis, sed virtute & merito passionis Christi, peccatorum remissionem consecuturos, &c. à DEO filios haberi. Addendum enim est, ut credant: se SOLA virtute & merito passionis Christi, sine accessione suorummet meritorum, non solum peccatorum remissionem, sed ipsam etiam BEATITUDINEM ÆTERNAM acquisituros, juxta Act. XV, 10, 11. Ubi totum ^{modum} soli fidei adscribitur. Tota beatitudo acquiritur sola fide sine operibus Rom. IV, 6, 7. seqq. Qui opera sua etiam post fidem facta, hoc sine addunt, ut hisce cum Christi operibus conjunctis, beatitudinem consequantur, amittunt Christum, excidunt gratiâ. Gal. V. Calixtus autem & Horneius in Dissp. suis sola merita de condigno excludunt à concursu cum meritis Christi, non meritum de congruo.

X. Eâdem thesi incongruè allegatur dictum Apostolici. Job. 2: qui odit fratrem suum, &c. Neq; enim ullus Idololatrarum odio habendus est. Versatur autem in quaestione: Quis fratris loco veniat? Ergo non supponendum erat id tanquam concessum: fratris nomine venire etiam heterodoxum in coetu Pontificiorum, Calvinistarum &c. actu, corpore, & affectu communicantem.

XI. Quòd thesi 5, & 10. de virtuali & interna communionem illius hominis cum Ecclesia dicitur, qui actuali tamen & externa communionem hereticorum

rum religiosis cœtibus adhæret, id Sententiæ Christi
planè contrariatur. Qui non est mecum, contra
me est, & qui mecum non colligit, dispergit Luc.
XI. Qui unum corpus mysticum in Ecclesia constitue-
re cupiunt, eos oportet de uno pane visibili, & ex-
trinseco etiam ritu in templis Orthodoxis, non in
Idoleis participare: Non possunt simul partici-
pare de mensa Christi & de mensa Idolorum. In-
terna autem & virtualis communio cum Ecclesia, non
presumitur de evidenti & manifestaria communione
inter heterodoxos: 1 Cor. X, 17, 18. seqq. De Eccle-
sia conservatâ in Papatu ante Lutherum, & fide-
libus hodieq; in cœtu Calviniano degentibus, quorum
intuitu præfatio Libri Concordiæ integros cœtus & Ec-
clesias se damnare nolle protestatur: (Etsi Helmaest-
diani illa ætate omnes, etiam & singulos Laicos,
unâ cum Doctoribus suis de plano condemnandos &
Satana tradendos postularent, apud Hospin. Concord.
cap. 45, fol. 246. Hutter. pag. 1068. seqq.) longè alia
ratio est. Fidelibus in Papatu non solum ea fuere cog-
nita, quæ exprimuntur sola litera Symboli Apostolici,
sed etiam doctrina de merito Christi, siue morte Chri-
sti satisfactoria & meritoria: de effectu Baptismi &
Cœnæ, de quibus nihil est in litera Symboli Aposto-
lici. His fulcris fiducia & salus illorum niteba-
tur. Erreres capitales aut ignorabant, Apoc. II, 24.:
aut cum gemitu improbabant, Ezech. IX, 4. Apoc.

VII. 3. Missam & processiones frequentabant ad eum
modum, quo Naaman conversus Idoleum Regis sui,
II. Reg. V. De Calvinianorum autem Laicis obser-
vandum est, (1.) restringi suspensionem sententiae con-
demnatoria ad solos illos Articulos, qui in solida
Declaratione Libri Concordiae decisi sunt, & de qui-
bus illa aetate inter Theologos, Augustanae Confessionis
Symbolum praeseferentes controvertebatur, & praeci-
pue ac penè unice ad errorem Calvinistarum de ver-
bis Coena. Quae restrictio ad oculos patet ex Au-
thentico, quod est Germanicum exemplar, § Was
Denn die Condemnationes falscher unreiner Lehre /
besonders im Articul von des HErrn Abendmahl
betrifft / &c. nequaquam verò extendi & prorogari
etiam ad Papisticos errores, nedum ad Socinianos,
Anabaptisticos, Arianos, Nestorianos, qui singuli
& omnes sub literalis confessionis Symboli Apostolici
latere possunt. (2.) Restringi ad solos Laicos credulos,
ex ignorantia & simplicitate errantes, nec maledi-
centes sententiae verae. Ibi: Viel fromme unschul-
dige Leute / in denen Kirchen / die sich bisshero mit
uns nicht allerdings verglichen / welche in der Ein-
falt ihres Hertzens wandeln / die Sache nicht recht
verstehen / und an denen Lästerungen wider das
heilige Abendmahl / wie solches in unsern Kirche ge-
halten und gelehret wird / gar keinen gefallē tragen.
Doctores autem, quos Calixtus aequè ac Laicos ab-
solvit

solvit, ipsaq; heterodoxa dogmata damnantur expres-
sis verbis: Illi, tanquam nulla ratione tolerandi in
provinciis Orthodoxis: Dogmata autem, tanquam ir-
reconciliabilia cum veritate, ibi: Die falsche und ver-
führische Lehren / und derselben halsstarrige Lehrer
und Väterer / die wir in unsern Landen / Kirchen
und Schulen keines weges zu dulden gedencen /
werden eigentlich verworffen / ratio: Dieweil die-
selbe dem ausgedruckten Worte Gottes zu wider /
und neben solchem nicht bestehen können. Latina e-
ditio habet: quod illi errores, expresso DEI verbo re-
pugnent, & quidem ITA, ut cum eo CONCILIARI
NEQVEANT. ut in Artic. X. Confes. Aug. DAMNAMUS
secus Docentes. Libertatem & impunitatem opinan-
di & profitendi quidvis, litera & Symboli Apostolici
expresse non contradicens, qualem Calixtus largitur,
nulli asserit Concordia liber.

(3.) Restringi ad eos solos, de quibus spes secutura
conversionis erat; ibi: Die sich verhoffentlich zu der
Wahrheit mit uns und unsern Kirchen und Schulen
begeben und wenden werden.

XII. Non sufficit Th. X. distingvere scitu
præcisè necessaria ab aliis, quæ pari modo neces-
saria non sint; Sed determinanda quoq; & nominan-
da erant illa dogmata, quæ præcisè necessaria, quæ
necessaria quidem; sed non pari modo necessaria;
deniq; quæ inter non necessaria ad salutem compu-

standa & ponenda sint? Nullam ampliorem de rebus
fidei notitiam, ad conservandam & depurandum à
pravis opinionibus fidem salvificam, requiri, quàm
quæ verbis Symboli exprimitur, æquè absurdum est,
ac, non requiri ad hominis nati & adulti nutritionem,
succum alium, præter eum, quem ex venâ umbilicali
in utero hausit; Omnes morbos posse solò lacte obste-
trici depelli: Annon Apostolus, cum attulisset hanc
similitudinem, ad ostendenda requisita fidei primùm
plantanda, augendæq; & conservanda, addidit notas
modales necessarii & necessitatis? *χρείαν ἔχουσι: τελείων*
Ἰσὺν ἢ στερεὰ τροφή &c. Ebr. V, 12, 13, 14. Infantes in
Christo, indigent lacte doctrinæ, non conco-
quunt cibum solidum: Solidus cibus adultorum
est. Quis hinc unquam Calixtino modo intulit: Ad
fidem Christianam imbibendam requiritur lac, requi-
ritur noticia Symboli Apostolici: Ergò ad fidem illam
conservandam, ad fidem illam ab hæreticis opinionibus
muniendam nihil amplius requiritur? Petrus
Cunæus lib. III. cap. 9, de Rep. Ebraeorum, jubet Lu-
theranos ad manicatas tunicas redire, quas gesta-
bant infantuli, qui credunt, Baptizatis in Christo
infantibus inesse quandam sacræ fidei vim, quam
sensisse se non recordentur tamen adolescentes. Credo
sartoris filium tunicam istam pro Georgio Calixto
consarcinasse, Si placet, legi potest de hoc argumento
D. Nicolai Hunnii Epitome credendorum. & D.
Hül-

Hülsemanni Disputatio, Quæ dogmata ad salutem
creditum sint necessaria? anno 1627. sub D. Balduino
habita, quæ extat sub finem Calvinismi irrecon-
ciliabilis.

XIII. Falsa est collectio in Th. 21. & 22. Rati-
habitionem dogmatum solo Symbolo Apostolico expres-
sorum, quæ suffecit, ut confesores Symboli Apostolici
ob confessionem ejus supplicia passi, haberentur &
habeantur Martyres Christi & beati, sufficere quoque
ad communionem Ecclesiasticam cum heterodoxis
ineundam, qui in multis aliis Symbolo Apostolico non
comprehensis articulis falsum tenent & docent. Hæc
enim sunt disparata, & non consequuntur invicem. Neque
enim ullus talis martyr inveniri potest, qui præter
dogmata in Symbolo expressa, Papiſtarum aut Calvi-
niſtarum errores etiam approbaverit aut docuerit.
Qui in Gallis, Belgio, Hispania, superiore seculo cre-
mati sunt, Calvinianis dogmatibus infecti, in tantum
sunt Martyres, in quantum veritatem nobiscum pro-
fitebantur, nequaquam verò, quatenus hæreticam la-
bem coadmiserunt, sive inſcii & ignari, sive scientes
& prudentes. Non supplicium, sed causa facit
Martyres.

XIV. Falsum, quòd theſi 22. ingeritur: A Ca-
techumenis baptizatis, neque impostero à suscepto
baptismo quicquam aliud requisitum fuisse, nisi,
ut in eâ, quam profesſi essent, fide, constantes vive-
rent

D

rent

rent. Si vox aliud sumitur de Exclusionem amplioris
cognitionis de rebus fidei, manifestò falsum est illud
enunciatum, & contra fidem totius historia: Quis
enim nescit, accessisse ad Apostolicum Symbolum etiam
Antiochenum, Nicænum, Athanasianum, Con-
stantinopolitanum, quod Græcis communiter & no-
bis hodieq; Nicænum dicitur, teste totâ Synodo Chal-
cedonensi, apud Evagrium, lib. II. cap. 4. Et Aquile-
giense, quod in latina Ecclesiâ viguit, & non parum
ab Apostolico differt, teste & interprete Ruffini com-
mentario in hoc Symbolū. Et illud, quod B. Augustinus
exposuit T. III. de fide & Symbolo, & l. I. de Symbolo ad Ca-
techumenos, ò consonare per omnia Apostolico sic dicto:
(præterquam n. quod de Descensu ad inferos nullam
mentionem facit, initium secundi Articuli utrobique sic
legit: Et in Jesum Christum, Filium DEI Pa-
tris unigenitum, unicum Dominum nostrum, de
fide & Symb. c. 3. & de F. ad Cat. l. I. Cap. 2. Quod epi-
theton: Unicum Dominum, serm. in Vigiliâ Pen-
tecostes, qui est CLXXXI. de Temp. pluribus exponit.)
Accessisse præterea Symbolum Ephesinum, Chalce-
donense? Et requisitam fuisse pro diversitate
regnorum & provinciarum etiam horum Sym-
bolorum professionem, etiam à Laicis, de hæresi
Novatianâ, Photinianâ, Arianâ, Macedonianâ, aut
Nestorianâ, &c. suspectis: & præter approbationem
horum Symbolorum, exactam unâ fuisse pronuncia-
tio

tionem anathematis in Photinum, Arium, &c. & A-
ranum errorem: in Nestorium, & Nestorianum erro-
rem, &c. propterea, quod hæretici illi, quibus Symbola
ista opponebantur, præter & extra literam Symboli
Apostolici sparsissent alia dogmata codici Biblico con-
traria? Audiatur Concil. Laodic. decennio ante
Nicænum, Anno Christi CCCXV. celebratum, Can. 7.
ex versione Gentiani Herveti: De his, inquit, qui
ab hæreticis convertuntur, id est, Novatianis, aut
Photinianis, aut Quartadecimanis, sive baptizati
illi sint, seu Catechumeni, non ante suscipiantur,
quam omnes hæreses anathematizent, & præci-
puè illam, in qua detinebantur. *καὶ τότε λοιπὸν*, &
de cætero, sive tunc demùm hi, qui apud eos di-
cuntur fideles, postquam Symbola fidei edidice-
runt & sancto Chrismate uncti sunt, sic admittan-
tur communicare sancto mysterio Eucharistiæ.
Can. VIII: De his, qui convertuntur ab hæresi Ca-
taphrygarum, quamvis in Clero, qui apud eos
esse creditur, & maximi nominis fuerint, tales
cum omni diligentia instrui, & baptizari ab Eccle-
siæ Episcopis & Presbyteris convenit. *Quam*
sanctionem plura exinde Concilia confirmarunt, quo-
rum decreta in Synopsi legere est, ex Pontificiis Scri-
ptoribus, apud Claudium Espencæum in Epist. ad
Tit. Digress. de Hæreseologia. Ex Calvinistis, apud
Nicol. Vedelium de prudentia veteris Ecclesiæ l. 2.
D 2 cap.

cap. 5. & 6. Idem Vedelius Arminianos convincit esse
Ministros & Simulatores Socinianorum, quòd de-
tractant his anathema dicere, parte 2. de arcanis
Arminianismi l. 1. cap. 2. argument. 1. & parte 4. libr.
2. cap. 8.

Athanasius sociiq; Orthodoxi Episcopi Antioche-
nis modum prescribunt, sub quo & Orthodoxos in
coetibus Arianorum superstites, & revertentes ad Ec-
clesiam Arianos recipere oporteat: Tom. 1. Opp.
Graecol. fol. 448: Omnes igitur, qui vobiscum
pacificè agere volunt, imprimis autem illos, qui
in veteris Ecclesiae communione manserunt, &
eos, qui ab Arianis redeunt, allicite ad vos, eosq;
ut filios assumite, & sicut Didascalii ac Tutores
suscipite, & agglutinate vos ipsos dilectis nostris,
Paulino adhærentibus: Nihilq; amplius exigatis
ab ipsis, (μηδὲν πλεῖον, ἢ ἀναθεματίζειν τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν,)
quàm ut ANATHEMATIZENT ARIANAM hæ-
resin, & confiteantur eam, quam NICÆNÆ Synodi
Patres confessi sunt fidem. Anathematizent etiam
Eos, qui dicunt, Spiritum Sanctum esse creatu-
ram &c. Hoc enim est verè (ἀποπηδᾶν) redire, reverti
à sceleratâ hæresi. Nam qui simulantes se jacti-
tant de confessione Nicænæ fidei, atq; interea au-
dent calumniari personam Spiritus Sancti: nihil
aliud præstant, quàm quòd Arianam hæresin qui-
dem inficiantur, animo autem sensuq; retinent.

Zeno

*Zeno Imperator, voluptatum servus & flagiti-
 orum mancipium, ex Evagrii encomio, in Heno-
 tico, sive libello conciliatorio Eutychianorum cum
 Orthodoxis, apud Evagrium L. III. c. 14. etsi Chal-
 cedonense Symbolum non admitteret, rigorosior ta-
 men Calixto, omnes & singulos uniendos obliga-
 vit ad confessionem Symboli Nicæni, seu Cōstanti-
 nopolitani, & XII. Anathematismorum Ephesino-
 rum Cyrilli. De Catechumenis autem expressè ait,
 quòd baptizati fuerint in præmissam confes-
 sionem Symboli Nicæni & Constantinopolitani.
 Omnes populi (sunt verba Henotici) qui salutare
 baptisma accipiunt, hoc SOLUM (Nicænum Sym-
 bolum Constantinopolitano illustratum) percipien-
 tes baptizantur. Sed hypocrita & Vertumnus iste,
 mox in Epistola ad Romanum Pontificem apud eundem
 Evagrium, cap. XX. gloriabatur, se recipere Sanctis-
 simam Chalcedonensem Synodum, quam in He-
 notico claris verbis anathematizabat, & postea
 quoq; averfabatur, ut ex c. XXII. apparet: Pluri-
 mum, inquit Evagrius, de Synodo Chalcedonensi
 disceptari cœptum est apud Zenonem, nihil verò
 effectum: quòd Zenon hautquaquam Synodo
 Chalcedonensi consentiret.*

*Augustinus lib. de fide & Symbolo: Est autem
 fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, inquit,
 memoriæq; mandata, quantum res passa est bre-*

D 33

vitate



uitate Sermonis : ut incipientibus atq; lactentibus
eis, qui in Christo renati sunt, nondum Scriptura-
rum diligentissima & Spirituali tractatione robo-
ratis, paucis verbis credenda constitueretur: P R O-
FICIENTIBUS & ad divinam doctrinam surgen-
tibus, quod multis verbis esset PERFICIENDUM.
Sub istis ergo paucis in Symbolo constitutis pleri-
que hæretici venena sua occultare conati sunt, qui-
bus restitit & resistit divina misericordia, &c. *Hæc*
Augustinus.

*Notum est proœmium, notus epilogus Symboli Atha-
nasiani ab omnibus Christianis approbati: Quicumq;
vult salvus fieri; hæc omnia inviolabiliter credat
necesse est, &c. Et multa tamen continentur hoc
Symbolo, Apostolici illius verbis non expressa: Qua-
propter inauditum est inde ab origine Christiani nomi-
nis: Solius Symboli Apostolici approbationem ef-
se signum discretivum Orthodoxi ab hæretico, nec
hæreticum haberi posse, qui solum illud Symbo-
lum approbet.*

*XV. Argumentum topicum, quod D. Calixtus
à futurâ tranquillitate Ecclesiasticâ, Civili & Dome-
stica ducit, si non obstante sententiarum aliqua-
rum diversitate, alter alterum habeat DEI filium, &
proinde fratrem ac cohæredem æternæ vitæ: Et, et-
iamsi actualis & externa per Sacramentum com-
mu-*

munio prohibeatur, perseveret nihilominus virtua-
lis & interna, consistens in mutua benevolentia, ad-
fectu & desiderio studioq; removendorum impe-
dimentorum, quæ actuali & externæ perfectæ com-
munioni obsistunt, §. V. ita comparatum est, ut fateri
necesse habeam; me tantas nugas à tali viro in re tam
gravi minimè expectasse. Quis nescit, feliciores fore
res humanas, si Dæmonas non haberemus hostes, qui as-
sensum veritatis præbent omnibus articulis Symbolo A-
postolico expressis. Nunquid autem propterea Lares
& Lemures habendi erunt pro fratribus in Christo &
coheredibus vitæ æternæ, ne agrè nobis faciant? De
modo & conditionibus ad fraternitatem Spiritua-
lem jure divino requisitis quæstio est: An stent cum
libertate opinandi & profitendi quodvis de dogma-
tibus fidei Symboli Apostolici literâ non expressis?
nō de incommodis ex dissensu orituris, quæ nō possumus
ignorare, si vocem Christi audimus: E binis eodē tho-
ro concumbentibus, alterum DEI, alterum Diaboli
fore: ex sociis famulabus, eandem molam trahen-
tibus, alteram in gloriam receptū, alteram detrusum
iri ad Orcum: Luc. XVII, 24. Non sunt facienda ma-
la, ut eveniant bona: Rom. III. Etiam Martinus
Chemnitius, agro Brunsvicensi totiqve Ecclesiæ
tranquillitatem optabat Cap. LI. Harmon. in Cap.
V. Matth. cum ait: Tranquillitas quidem Ec-
cle-

Eclesiæ jucundior est & gratior : sed mala pax & concordia est, quæ inter Pastores & Lupos, inter furem & Oeconomum, inter verum & falsum Prophetam initur. Volumus & nos pacem, *verbo Hieronymi ad Joannem Hierosol.* & non solum volumus, verum etiam rogamus : sed pacem Christi, pacem veram &c. *Illud de virtuali communionem inter Orthodoxos, & eos, qui mente pariter & gestu hæreticis communicant, paulò ante confutatum est. Sapit a. Hugonis Grotii Dissertationem Anno MDC XLVI. editam pag. 30. & 31: Non semper esse communicandam per Symbola. Unitatem fidei, & Unitatem Ecclesiæ conservari posse, omisso usu tam Baptismi quam Cœnæ, & differentiis de utroque Symbolo sententiis. Illud denique falsum : Virtualementem & internam communionem ejusdem fidei & Spiritus, consistere in mutuâ benevolentia, affectu & desiderio studioque removendorum impedimentorum, quæ actuali & externæ communioni obsistunt. Pius V. Pontifex R. & Elisabetha Regina Angliæ multa benevolentiae mutua signa invicem exhibebant, & utrinque studebant impedimenta communionis externæ removere, veluti ex Actis Anglicanis, & Tractatibus Tom. III. Monarchiæ Goldasti collectis patet; Nemo tamen Calixto credet, fuisse fratres & sorores in Christo. Si Apostolo credimus, consistit Unitas Spiritus & vin-*

& vinculum pacis, ipsaque unitas corporis Spiritua-
lis, in unâ fide *Eph. IV, 4. Docens præter normam divi-
nitus constitutam, tametsi Angelicam religionem & hu-
militatem profiteatur, non adhæret capiti, excidit cõ-
nexionem cum illo capite, ex quo totum corpus per
nexus & conjunctiones suas compactum & conne-
xum, crescit in augmentum DEI, Coloss. II, 18. 19. Qui
non manet in Sermone Christi, & in quo sermo
Christi non manet, ille non manet in Vite, sed ejici-
tur foràs, & arefcit, conglomeratur & comburitur,
Job. XV, 6. 7.*

*Ac tametsi falsa opinio de Spirituali confraterni-
tate heterodoxorum, sive inter se, sive cum Orthodoxis,
& spes vana de futuro in Cœlis consortio, videatur fa-
ctura ad Majorem tranquillitatem Reipublicæ & Oe-
conomia; quia tamen opinio falsa est, & dubio procul à
Diabolo inspirata, non potest nisi cruentum & tragicum
sortiri exitum, ut solent suggestiones illius homicidæ &
mendacis Spiritus: & qualem exitum habuit Zeno-
nis Henoticum, de quo Evagrius d. L. III. c. 29. Dan-
tur respectus alii, sub quibus & propter quos cives di-
versi cultus in unâ Rep. & conjuges mutuò se tolerant,
& tolerare debent, quia nexus communis est omnibus
Rebusp. Germanorum, Venetorum, Cantonum Helveti-
corum, Gallorum, Belgarum, quo nexu aliæq; Resp. con-
sistant. Falsa opinio & persuasio de indemnitate dispa-
ris cultus, à nemine unquam Orthodoxorum habita-
fuit pro vinculo publicæ tranquillitatis. Legi potest. si*

E

pla-

placet, præfatio Dialyseos nostra pag. 53. seqq. Plura
me adjicere vetat temporis angustia, & Domini Patro-
nifestinatio. Summa rei est: Solum Symbolum Aposto-
licum suffecisse lætentibus in Christo, ignorantibus alia,
securis à formidine oppositi aut diversi dogmatis, & non
admittentibus ullum dogma heterodoxum extra hoc
Symbolum: Quod in modernorum Sectariorum Lai-
cos non quadrat.

Ab ignorantia dogmatum erroneorum Symbolo A-
postolico non rejectorum, ad licentiã adhaerendi dogma-
tibus talibus, argumentari, perinde est, ac hoc modo in-
ferre: Ignorantia Præstigiæ Magicarum Pentateu-
cho Mosis non denominatarum est innoxia, ergo pra-
xis & exercitium præstigiæ Magicarum Pentateu-
cho Mosis non denominatarum est innoxia.

LIPSIÆ d. 22. Octobr. 1650.

Augustinus her. 72: A Rhetorio quodam exor-
tam hæresin dicit (Philastrius Brixienfis) nimium
mirabilis vanitatis, quæ omnes Hæreticos rectè
ambulare & vera dicere affirmat. Quod ita est absur-
dum, ut mihi incredibile videatur.

Philastrius hæresi 43: Alii sunt in Ægypto & A-
lexandria, à Rhetorio quodam, qui omnes laudabat
hæreses, dicens omnes bene sentire, & malè eos non cre-
dere sentiebat. Si itaq; omnes laudabat, quem vitupera-
bat? Ergo non tenet quod verum est. Et Photinus ergo
lau-

laudandus est hereticus, qui Christum Dominum negat
esse ante secula cum Patre, &c.

B. Lutherus de Conciliatione cum Secta Roma-
nensi, in Articulis Smalcaldicis, qui sunt
pars essentialis corporis Julii, in quod ju-
ravit D. Calixtus, Artic. de Missa:

Et si possibile esset, ut omnes reliquos articulos no-
bis concederent, tamen hunc concedere non poterunt,
quemadmodum Campegius Augusta dixit, se prius o-
mnia tormenta, membrorum dilaniationem & mortem
passurum, quam Missam missam facturum esse. Et e-
go etiam, per DEI opem in cineres corpus meum redigi
& concremari patiar prius, quam ut Missarium ven-
trem, vel bonum vel malum, aequiparari CHRISTO
JESU, Domino & Servatori meo, aut eo superiorem
esse feram. Sic scilicet in aeternum disjungimur &
contrarii invicem sumus. Sentiunt quidem optimè,
cadente Missa, cadere Papatum: Hoc priusquam fie-
ri patiantur, omnes nos trucidabunt, si poterunt.

Idem de Conciliatione cum Calvi-
nistis.

Im Sermon vom Abendmahl: Wohl dem/der nicht
wandelt im Rath der Sacramentirer / und gehet nicht
auff

auff den Weg der Zwinglianer / und sitzet nicht / da die Zürcher sitzen / *habet notissima illa. Megalandri vox.*

Ich müste mich selbst in Abgrund der Hölle sampt ihnen verdammen / wo ichs mit ihnen solte halten / oder mit ihnen Gemeinschaft haben / wenn ichs merckte oder hörete / daß sie sich meiner Gemeinschaft anmasseten / oder rühmeten. Das thue / oder darzu schweige der Teufel und seine Mutter / Ich nicht.

Idem im kurzen Bekänntnis vom Abendmahl /


Anno 1544.


Also schieden wir von Marpurg / mit solcher Hoffnung / wie gesagt / Weil sie alle Christliche Articul nachgaben / und in diesem Articul des heiligen Sacraments / auch vom vorigen Irrthumb (daß es schlecht Brod were) abtraten / sie würden vollends gar und gantz mit der Zeit zu uns treten. Weil nun durchs Teufels Geschäfte solches gefeilet / und ich wol betrogen / wie ichs aus dem Büchlein nach des Zwingels Tode ausgangen / muß merckē / dz er nach dem *Colloquio* ärger wordē ist / den zuvor / ungewißlich zu Marpurg hat fälschlich mit mir gehandelt / werde ich gezwungen / Keines Schwermers / er heisse Stenckfeldt / Zwingel / Decolampad / Carlstadt / oder wer sie sind / die Schwärmer / Brodfresser und Weinsäuffer / das ist / Christi Lasterer und Feinde / Gemeinschaft anzunehmē / sondern muß weder ihre Brieffe / Bücher / Gruß / Segen / Schrift / Namen noch Gedächtnis in meinem Herzen wissen / auch weder sehen noch hören.

F I N I S.

Kreis- u. Stadtmuseum
Haldensleben







B.I.G.

Farbkarte #13

VII
JUDICIUM DE CALIXTINO DESID
D. JOHANNIS HULSE
MANNI

JUDICIUM

DE

CALIXTINO DESIDERIO
STUDIO SARCIENDÆ CON-
CORDIÆ ECCLESIASTICÆ,

NO ANIMO PUBLICÆ LUCI
EXPOSITUM,
FREIBERGÆ.

Nunc

LIPSIAE

SUMPTU ET TYPO RITZSEHIANO

auditis & correctius recussum.

M DC. LI.